Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

ſubiectos. Capitulum quartum.

Iacob audito quia ioſeph viueret in egipto et clarus ibi haberetur. deſcendit ad eum cum toto domo ſua. Capitulum quintum.

De morte iacob et de ſepultura qua ſepultus eſt in ebron a filijs. de morte quoque ioſeph et fratrum eius. Capitulum ſextum.

De oppreſſione filiorum iſrael in egipto per pharaonem. et de natiuitate moyſi. quem educauit filia pharaonis et adoptauit ſibi in filium. et de ſacrorum ſcriba qui voluit interficere puerum conculcantem coronam regis. quam puero rex impoſuerat Poſtquam creuit moyſes. iniunctum eſt Ca vij ei bellum ethiopicum. vbi copulata eſt filia regis ethiopum in matrimonio. vnde odium et inuidiam magnam contraxit egiptiorum. Ca. viij

Moyſes cognitis inſidijs regis egipti latenter effugit. et veniens in madian. habitauit cum raguele ſacerdote. cuius filiam accepit vxorem. ix

De rubo quem videbatur moyſi quaſi arderet. qui tamen non comburebatur. vbi audiuit mandatum diuinum ut reuertens in egiptum. liberaret filios iſrael de oppreſſione egiptiorum. Ca. decimum.

Moyſes regreſſus eſt in egiptum ſecundum mandatum domini. vbi faciens ſigna et prodigia maxima. eduxit filios iſrael de egipto in manu valida. Ca. xi

Quod egiptij penitentia ducti quod dimiſiſſent filios iſrael. inſecuti ſunt eos vſque ad mare rubrum. quod diuiſum virga moyſi precipiente domino. ingreſſi ſunt filij iſrael et ſicco veſtigio tranſierunt illud. egiptij autem perſequentes ingreſſi ſunt poſt eos. ſed reuertente mare in ſeipſum. ſuffocati ſunt fluctibus

Incipit liber ſecundus antiquitatis iudaice.

POſt mortem vero yſaac filij eius inuicem tabernacula diuiſerunt et non ea que acceperant tenuerunt. Sed eſau quidem ebron ciuitatem fratri dans habitabat in ſeir. et in idumea regnabat. quam regionem a ſemetipſo ita vocauit. Edom enim nominatus eſt. quam nuncupationem huiuſmodi venationis cauſa ſortitus eſt. Aliquando labore venationis eſuriens rediebat. dum adhuc puer eſſet etate. inueniensque fratrem lentem preparantem ſibi ad prandium. rubeum colorem nimis habentem. et propterea potius incitatus. rogabat ut preberet ſibi cibum. Qui vendidit ſibi primatum propter cibum. per eius eſuriem compulit fratrem. Ille fame compulſus. conceſſit cum ſacramento primatum. Quam obrem propter ruborem cibi a coetaneis. infantie tempore edom vocatus eſt. Hebrei namque edom rubeum dicunt. Et ideo regionem ſic appellauit. quam greci honeſtius idumeam denominauerunt. Fuit autem pater filiorum numero quinque. quorum hieus quidem et hielon. et chore. ex vna muliere ſunt geniti. oolibama nomine. reliquorum vero. eliphas quidem ex ada. rahuel autem de baſemath ethei ſunt nati. Hieus quidem filij non fuerunt. heliphas vero fuerunt legitimi quinque. theman. omath. ſepphu. gathan. cenes. Amalech enim natalis non erat. de concubina thamna nomine procreatus. Iſti ſiquidem habitauerunt in idumea que gobolitis eſt dicta. et ab amalech amalechitis eſt appellata. Cum enim aliquando magna fuiſſet idumea. et in tota regione nomen integrum retinent. in partibus appellationes ab habitatoribus conſeruabat. Contigit autem iacob. ut ad tantam felicitatis magnitudinem perueniret. quam facile ab alijs apprehendi non poſſit. Diuicijs enim cunctis prouincialibus eminebat. et filiorum virtutibus imitabilis et conſpicuus erat. nec vllius rei penitus indigebat quando illi ad opus manuum. et laborum tolerantiam. erant prompti. et ad intelligentiam preparati. In tantum vero eius habuit diuitas felicitatis curam. ut etiam ex his que triſtia videbantur eſſe. bonorum ei preberetur ſublimitas. fecitque eum et qui ex eo procreati ſunt auctores reuerſionis ex egipto. quo patres noſtri huiuſmodi cauſa morati ſunt. Capitulum ſecundum.

IOſeph ex rachel filium ſuſcipiens iacob. et propter honeſtatem corporis et animi virtutem. cum vtique alijs ſapientia precelleret. eum amplius alijs filijs diligebat. Huic ſiue paterna dilectio odium concitauit fratrum. ſiue ſomnia, Que cum vidiſſet. patri et eis protinus indicauit. eo quod profectum eius annunciarent. cum ſepius celentur homines. etiam ſuorum felicitates. Viſiones que apparuerunt ioſeph. erant huiuſmodi. Miſſus a patre cum fratribus ut colligerent meſſes. et maturas fruges. vidit nimis precipuam viſionem. et vltra ea que ſolent per ſomnia prouenire. Quam viſionem dum ſurrexit fratribus ſuis tanquam ſibi ſomnium diſcernentibus enarrauit. dicens. vidiſſe ſe tranſacta nocte manipulum ſuum de tritico ſtantem in quo eum poſuerat loco. illorum vero concurrentes adorare eum. ſicut dominum ſerui. Illi intelligentes virtutem eius.

Esau vendit primatum geniture fratri.

Idumea qui ita dicta.

IOSEPH ob somnia futura felicitatis indicta, fratrum subiret invidiam.

Esau & Iacob habitacula diviserunt. Esau Idumea. Iacob vero Chananea obtinuit.